

Critica hermeneutica.

I. <Ἄπὸ τοῦ δεῖτος ἀρχοντος ἐφ' οὐ πρῶτον κῶμοι ἦσαν τῷ<*i* Διονύσῳ> legitur in inscriptione 1078 edit. III sylloges Dittenbergerianae neque tamen intellegitur. Nam κῶμοι alii accipiunt quasi comissiones nocturnas cum lampade et tibia in honorem Bromii, quae tamen non fuerunt omnino agones sive certamina plurium de pretio certantium, neque melius interpretantur, qui vocabulum arbitrantur significare nulla cum distinctione ferias Bacchi in honorem actas, non recte divellentes nomen a verbis legis Euegori ap. Demosth. in Mid. 10 recte traditis: *τοῖς ἐν ἀστεὶ Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παιδεῖς καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί*. Immo ordinem hunc sollemnem ludorum eodem modo praebet titulus q. s. s. e. *παιδῶν ἀρδρῶν κωμῳδῶν τραγῳδῶν*, modo ausus sis κῶμοι intellegere tamquam χοροὺς ἀρδρῶν. Quod minime mirabile, si meminerimus dixisse Pindarum Ol. VIII 10 τόνδε κῶμον καὶ στεφανῳρέαν δέξαι, Pyth. V 22 δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀρέων et similes locos glossaria Pindarica s. v. κῶμος exhibent, similiter Bacchylides X 12 *ἴεων κῶμοι*. Servatur igitur hoc vocabulo nomen vetustum chororum Bacchi, quod simul atque χοροὶ παιδῶν fieri coepit sunt loco cessit magis perspicuo nomini χοροὶ ἀρδρῶν. Pertinent autem illa verba tituli ad annum Lysagorae, quo chronicon Parium refert primum certasse choros ἀρδρῶν anno a. Chr. 509/8 (p. 14. 110 ed. Jacoby). Qui annus multo gravioris fuit auctoritatis quam illi anni, quibus vel tragicum vel comicum esse certamen coepit. Unde, sicuti senatus D hominum, ita D hominum chori i. e. X chori L hominum quotannis spectatoribus Atticis Graecis barbaris spectaculum debebant ostentare novae rei p. per X phylas nuper discriptae quale spectaculum choregi praestare non valebant.

II. Describitur magno cum lepore in rhetorica ad Her. IV 50, 63, dum notatio i. e. ἡθοποία quae dicitur quid sit edocetur, persona hominis, qui *ostentator pecuniosi* appellatur. Qua in descriptione Graecae vitae vestigia passim conspicua sunt sicuti appareat ex adnotationibus edit. II (1923), *pecuniosum* tamen personam fuisse mimi Latini intellegitur ex inscriptionis Latinae 2179 adnot. 5 sylloges Desauianae. Atque indeoles ostentatoris illius agnoscitur descriptione lepidissima l. s. s.: *Cum puerum respicit hunc unum, quem ego novi — vos non arbitror — alio nomine appellat, deinde alio atque alio ... ut ignoti, qui audient, unum putent selegi de multis.* Qualem hominem apud Athenaeum VI p. 230 C invenies descriptum his verbis: *οἶδα δέ κάγω τινα φησίν Ἀλεξίς, πολλήν*

ἡμέτερον πτωχαλαζόνα, δς δραχμῆς ἔχων τὰ πάντα ἀργυρώματα ἐβόα καλῶν τὸν οἰκέτην ἕρα ὅντα καὶ μόνον, ὅνόμασι δὲ χρώμενον ψαμμακούσιοις· πᾶς Στρομβιχίδη, μή τῶν χειμεριῶν ἀργυρωμάτων ἡμῖν παραθῆς, ἀλλὰ τῶν θεοινῶν. τοιοῦτός ἐστι καὶ ὁ παρά· Νικοστράτῳ ἐν τῷ ἐπιγραφομέτω δράματι Βασιλεῖς (C. A. F. II p. 222 K.). Ubi verba φησὶν Ἀλεξις ex epitome Parisina recepi, omissa in Marciano, cum in praefatione Athenaei II p. III editor Georgius Kaibel confessus sit ipse, sese iniquius de epitome quondam iudicasse. Sed ut nomen Strombichides vere est Atticum, quo antea Athenaeus III p. 97 F in simili ioco usus erat, ita Atticae et comoediae et ethopoiiae vestigia utroque loco et in Latina et in Graeca scriptura sunt manifesta licebitque hunc charactera peculiarem ptochalazonis componere Theophrasti characteri XXIII, ubi magis communiter alazon describitur. Homo Latinus tamen scite togatam fecit ex palliata inserendo Tusculanum et agrum Falernum (p. 182, 17. 183, 1 edit. II anni 1923).

III. Suetonius Tranquillus usus est in scribendo bybliothesis eximiis, ingenio mediocri, elocutione cottidiana, parum variata et saepenumero sui imitatrice re et verbis. Veluti cum legimus Calig. 50, 2: creditur potionatus a Caesonia uxore *amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit*, certe eundem stilum eiusdem Suetonii agnoscimus apud Hieronymum chron. ad ol. 171, 1 (secundum cod. A), de T. Lucretio poeta qui haec tradat: *amatorio poculo in furorem versus* cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset (p. 149 Helm). Si quis tamen dubitaverit possitne sanae mentis homo talia narrare tamquam vera, legat Arnoldi Houbraken librum clarissimum, qui inscribitur Schouburgh id est theatrum pictorum Batavorum (Germanice versum ab A. de Wurzbach Vindob. 1880 p. 29), ubi de Henrico Goudt, viro nobili loco nato summoque artifice, hoc modo refertur: „Dies waren aber seine einzigen derartigen Arbeiten. Denn eine Frauensperson, die ihn heiraten wollte, gab ihm einen Trank, der ihn im Jahre 1624, anstatt ihn verliebt zu machen, um den Verstand brachte, so dass er sein Bewusstsein gänzlich verlor und nur über die Kunst bis zu seinem Tode klare Antwort zu geben wusste.“ Positum fuit illud de Lucretio in prima parte libri virorum illustrium, quo de libro egi Actis Acad. Saxon. LXIII 1911 p. 51 adnot. Nam de ordine IV partium quae fuere de poetis de historicis de oratoribus de philosophis nil traditum esse arbitror; qui talia in scriptis suis deinceps enumerant, isti scriptores non consentiunt de ordine, ducunt tamen ubique poetae. Atque deinceps tractantur in Hesychii Milesii onomatologo poetae philosophi

historici oratores quod exposuit Wentzel Herm. XXXIII 1898 p. 275. 303, similiter nescio quo casu enumerat Dionysius Halicarnassensis in epistula ad Pompeium cap. 3,1 poetas philosophos historiographos oratores, neque ad rem pertinet quod Cicero apud Dionem Cass. XLVI 21,4 appellatur *σοφιστής καὶ ποιητής καὶ φιλόσοφος καὶ δράωρ καὶ συγγραφεύς*. Sed Lucianus ver. hist. I 2 τῶν παλαιῶν ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων καὶ φιλοσόφων cum scribit, bibliothecarum quendam ordinem videtur esse secutus, qui Suetonii aetate sollemnis videtur fuisse. Eundem enim sequitur Iuvenalis satira VII tractando poetam (1—97), historicum (98—104), oratorem (105—149), eundem Quintilianus X 1, 46—72, ubi poetae, 73—75 ubi historici, 76—80 ubi oratores, 81—84 ubi philosophi deinceps commendantur, qui ordo nonnihil mutatus est libro II Dionysii de imitatione, qui deinceps recensuit poetas historicos philosophos oratores, gravius mutatus est in tabulis collectis ab Ottone Kroehnert (Canonesne poetarum scriptorum ... fuerunt Regim. 1897 p. 5 seqq.) in quibus leguntur poetae oratores historici medici philosophi (conf. Radermacher Mus. Rhen. LIX 1904 p. 529). Consentit cum ordine Iuvenalis poetae et cum ordine Quintiliani ordo in eadem re adhibitus in oratione Dionis Prusensis XVIII (II p. 252 seqq. de Arn.), ubi poetae 6—8, historici 9. 10, oratores 11. 12, philosophi 13 seqq. positi sunt neque alium ordinem secutus est Suetonius. Nam in vita Augusti 89,3 hunc exhibet: Recitantis et benigne et patienter audiit nec tantum *carmina* et *historias*, sed et *orationes* et *dialogos*: ultimum vocabulum interpretabimur adhibitis Victorini commentariis in dialogos Ciceronis et nomine dialogorum Senecae quod est in cod. Ambrosiano (edit. Aemilii Hermes 1905 p. VI). Itaque vide ne huius opera testimonii disponendae sint quattuor partes virorum illustrium.

Bonnae.

Fridericus Marx.